OFFICIVM
Gratiarum actionis, iuxta ritum MONASTICVM.
Pro Victoria ex Turcis obtenta. 1621. Die 10. Octobris.
DVPLEX.

AD VESPERAS
Antiphona.

Cantemus Domino, cum reliquis de Laudibus, Psalm. Dixit Dominus cum reliq. de Dominica.

Capitulum, 2. Cor. 1.

BEnedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum ,& Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ℟. breue. Adorabant sancti *Viuentem in sæcula. Adorabant ℣ Et mittebant coronas suas ante thronũ Dei. Viuentem. Gloria. Adorabant.

HYMNVS.

SVpreme regum Rex bone,
Fons pacis & victoriæ,
DEVS Pater sperantium
Vltor superbientium.
Ad jussa cuius turgidæ
Maris procellæ subsident:
Iras leones exuunt,
Sol stat stupens, nec se mouens.
Quo fulgurante desuper
Gentes feroces expauent:
Hostes tremunt, mali fremunt,
Boni triumphant gaudio.
Tu barbaros Osmanicos
Apros, fugas è vinea
Poloniæ Regnum tuæ,
A clade dira vindicans.
Ergo tuo celsissimo,
Sit nomini laus gloria
Qui trinus ac vnus DEVS,
Per sæcla viuis omnia Amen.

℣. Sancti per fidem fortes facti sunt in bello.
℟. Castra verterunt exterorum.

Ad Magnificat. Antiphona.

Benedictus Dominus DEVS noster: qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.

ORATIO.

DEVS qui in summis Regni nostri periculis antiqua brachij tui miracula renouasti: suscipe gratiarum actiones exultantium populorum: & quibus tanti gaudij

causam

causam præstitisti, perpetuæ fructum concede lætitiæ. Per Dominum nostrum &c.

Ad Matutinum Inuitatorium.

R egem qui redimit de interitu vitam, V enite adoremus.

Psalmus.

V enite exultemus.

H y m n v s.

S Vpreme regũ vt in primis Vesp.

In primo Nocturno.

Antiphona.

F ortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.

Psalmus.

D omine Dominus noster.

Antiphona.

D ignus es Domine accipere gloriam, honorem, & virtutem.

Psalmus.

C æli enarrant gloriam Dei:

Antiphona.

T ua est Domine, magnificentia, & potentia, & gloria atque victoria.

Psalmus.

D omini est terra, & plenitudo eius.

Antiphona.

D ominus virtutem populo suo dabit, Dominus benedicet populo suo in pace.

Psalmus. A fferte Domino.

Antiphona.

E cce oculi Domini super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.

Psalmus.

E xultate iusti in Domino.

Antiphona.

D ominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob.

Psalmus.

D e v s noster refugium, & virtus.

℣. Benedic anima mea Domino.

℟. Et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius.

De libro 2. Machabæorum c. 15.

L e c t i o I.

E T Nicanor quidem cum summâ superbia erectus, cogitauerat commune trophæum statuêre de Iuda. Machabæus autem semper confidebat cum omni spe auxilium sibi à Deo affuturum: & hortabatur suos, ne formidarent ad aduentum nationum, sed in mente haberent adjutoria sibi facta de cælo, & nunc sperarent ab omnipotente sibi affuturam victoriam. Et allocutus eos de lege, & Prophetis, admonens etiam certamina, quæ fecerant prius, promptiores constituit eos: & ita animis eorum erectis, simul ostendebat Gentium fallaciam, & juramentorum præuaricationem. Singulos autem illorum armauit, non clypei, & hastæ munitione, sed sermonibus optimis, & exhortationibus. Exhortati itaque Iudæ sermonibus bonis valde, de quibus extolli posset impetus, & animi juuenum confortari, statuêrunt dimicare, & confligere fortiter, vt virtus de negotijs judicaret. ℟. Facile est concludi

multos.

multos in manu paucorum, & non est differentia in cóspectu Dei cæli: *Liberare in multis, & in paucis. ℣. Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo est. Liberare.

Lectio II.

ET cum jam omnes sperarent judicium futurum, hostesque adessent, atque exercitus esset ordinatus, bestiæ, equitesque opportuno in loco compositi; considerans Machabæus aduentum multitudinis, & apparatum varium armorum, & ferocitatem bestiarum, extendens manus in cælum, prodigia facientem Dominum inuocauit, qui non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam. Dixit autem inuocans hoc modo: Tu Domine, qui misisti Angelum tuum sub Ezechia Rege Iuda, & interfecisti de Castris Sennacherib centum octuaginta quinque millia; & nunc dominator cælorũ, mitte Angelũ tuum bonum ante nos in timore, & tremore magnitudinis brachij tui, vt metuant qui cũ blasphemia veniunt aduersus sanctum populum tuum. ℟. Quis similis tui in fortibus Domine, quis similis tui? Magnificus in sanctitate: *Terribilis, atque laudabilis, & faciens mirabilia. ℣. Dux fuisti in misericordia populo quem redemisti. Terribilis.

Lectio III.

NIcanor autem, & qui cum ipso erant, cum tubis & canticis admouebant. Iudas veró, & qui cum eò erant inuocato Deo per orationem congressi sunt: manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostrauerunt non minus triginta quinque millia, præsentia Dei magnificè delectati. ℟. Procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum. * Et mittebant coronas suas ante thronum. ℣. Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, honorem, & virtutem. Et mittebant.

Lectio IV.

CVmque cessassent, & cum gaudio redirent, cognouerunt Nicanorem ruisse cum armis suis. Facto autem clamore & perturbatione excitata, patria voce omnipotentem Dominum benedicebant. Itaq; omnes communi consilio decreuerunt, nullo modo diem istum absque celebritate præterire.

℟. Gloria Patri, genitæquè Proli, & tibi compar vtriusq; semper Spiritus alme, DEVS vnus. *Omni tempore sæculi. ℣. Da gaudiorum præmia; da gratiarum munera, dissolue litis vincula, astringe pacis fædera. *Omni tempore. Gloria. Omni tempore.

In secundo Nocturno.

Anti-

Antiphona.

A donai Domine, magnus es tu, & præclarus in virtute tua, & quem superare nemo potest.

Psalmus. O mnes gentes.

Antiphona.

N on in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo est.

Psalmus. M agnus Dominus.

Antiphona.

V ir obediens loquetur victoriam, vir impius procaciter obfirmat vultum suum.

Psalmus. D eus judicium tuum.

Antiphona.

Æ dificauit Moyses altare, & vocauit nomen ejus Dominus exaltatio mea.

Psalmus.

C antate Domino canticum nouum.

Antiphona.

D ominus conteret bella, Dominus nomen est illi.

Psalm. D ominus regnauit exultet.

Antiphona.

D ominum formidabunt aduersarij ejus, & super ipsos in cælis tonabit.

Psalmus.

C antate Domino canticum nouum: quia.

℣. Iste DEVS meus, & glorificabo eum.

℟. DEVS Patris mei & exaltabo (eum.

LECTIO V.

SIgismundo Tertio Rege, Osmanus Turcarum tyrannus, immensis, ex Europa, Asia, Africa, contractis copijs Tartarorum etiam Principe, qui longè majorem justo ducebat exercitum, in belli societatem accito, Reipublicæ Christianæ vastitatem atque excidium minitans, in Poloniam mouit. Tanti aduentantis hostis fama minimè consternatus Sigismundus, cum sciret non in multitudine exercitus victoriam, sed de cælo esse fortitudinem, ope diuina suppliciter implorata, Dei genitrice, Regnique Patronis conciliatis fortiter, constanterque bellum suscepit.

℟. Tu venis ad me cum gladio & hasta, & clypeo. * Ego autem venio ad te in nomine Domini exercituũ.

℣. Dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum. Ego autem.

LECTIO VI.

PRæmissus ad fines Poloniæ non maximo numero exercitus, qui hostem sustineret, dum Sigismundus omnem Regni nobilitatem trahens aduenirer. Castra in hostili ditione ad Chocimum posita, vt bellum potiùs inferre, quàm illatum repellere Poloni viderentur.

℟. Persequebatur vnus mille, * Et duo fugabant decem millia. ℣. Non nè ideò quia Deus suus vẽdidit eos, & Dominus conclusit illos. Et duo.

LECTIO VII.

DEcies, & quidem comite semper victoria, aciè pugnatum: toties à castrorum oppugnatione in-

genti

genti cum clade rejectus hostis: toties erupere nostri feliciter: Turcarum stationes prospere toties incursauêre: vt Dominum exercituũ à nobis stare apertissime pateret.

℟. Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine.* Dextera tua Domine percussit inimicum. ℣. In multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos. Dextera tua.

LECTIO VIII.

FRacta tandem, tot cladibus inflictis, Osmani cõtumacia, cum se frustra aduersus Deum pugnare intellexisset, ad ipsos Poloniæ fines eodem in loco mensem integrũ, eoque amplius hæsisset inglorius, sexaginta militum millia cæsa desideraret, majorem longè numerum belli incõmoda absumpsissent, stratos suorum cadaueribus vndique campos cerneret, ipse jam Sigismundus, cum Poloniæ flore majoribus copijs immineret: qui bellum intulerat, pacem expetijt: acceptisq; conditionibus Sexto Idus Octobris: Prior castra mouit, ex appetita armis Polonia nihil omninò præter jgnominiam, & dedecus reportaturus. Is dies, in tanti beneficij memoriam, vt Deo sacer, festusque Poloniæ, ac solemnis perpetuò in posterum foret, Sigismundus ipse Rex, Regnique Antistites à Gregorio Quintodecimo impetrauêre, mox Vladislao, qui parenti successerat, & in castris tempore belli fuerat, vt proprio ac peculiari officio, ad gratias agendas accomodato, horas Canonicas eodem die Polonia persolüeret, Vrbanus Octauus indulsit.

℟. Honor virtus, & potestas, & imperium sit Trinitati in vnitate, vnitati in Trinitate.* In perreni sæculorum tempore. ℣. Benedicat nos Deus Deus noster. In perenni Gloria. In perenni.

In tertiò Nocturno. Antiphona.

Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen ejus. Canticum.

Cantemus Domino, ex feria quinta quod diuidatur in tres Glorias.

℣. Benedic anima mea Domino.

℟. Domine Deus meus, magnificatus es vehementer.

Homilia S. Gregorij Papæ. in Euangeliũ. Cum audieritis prælia, vt in communi plurimorum SS. Martyrum.

℟. Reddidit Dominus justis mercedem laborum suorum, & deduxit eos in via mirabili.* Et fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem. ℣. Transtulit eos per mare rubrum, & trãsuexit eos per aquam nimiam. Et fuit.

℟. Iusti tulerunt spolia jmpiorum & decantauerunt, Domine, nomen Sanctum tuum.* Et victricem manum tuam laudauerunt pariter. ℣. Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas. Et victricem.

℟. Bene-

℟. Benedicamus Patrem, & Filiũ, cum sancto Spiritu. *Laudemus & superexaltemus eum in sæcula.
℣. Benedictus es Domine in firmamento cæli, & laudabilis, & gloriosus in sæcula. Laudemus.
℟. Te Deum Patrem ingenitum, te Filium vnigenitum, te Spiritum sanctum Paracletum, sanctam & indiuiduam Trinitatem toto corde, & ore confitemur, laudamus atque benedicimus. *Tibi gloria in sæcula. ℣. Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus solus. Tibi gloria. Gloria Patri &c. Tibi gloria.

Euangelium Cum audieritis,
Oratio vt supra.

AD LAVDES.

& per Horas Antiphona.

Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare. Psalmus.
Dominus regnauit, cum reliquis.

Antiphona.

Dextera tua Domine, magnificata est in fortitudine; dextera tua percussit inimicum.

Antiphona.

Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore.

Antiphona.

Iusti decantauerunt, Domine, nomen sanctum tuum, & victricem manum tuam laudauerunt pariter.

Antiphona.

Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.

Capitulum, 2 Cor. 1.

BEnedictus DEVS & Pater Domini nostri IESV Christi, Pater misericordiarum, & DEVS totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

℟. breue Iusti decantauerunt Domine, Nomen sanctum tuum. Iusti.
℣. Et victricem manum tuam laudauerunt pariter. Nomen. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Iusti.

HYMNVS.

REx magne, Rex altissime,
Virtutis è Throno tuæ
Æternitatem partiens,
Et regna mundi transferens.
Quam sunt inaccessæ tui
Profunditates consilij!
Vt est procul cœlum solo,
Arcana sic procul tua.
Thrax en, furoris ferrea
Qui virga diuini fuit,
Nunc ipse pœnas acriter,
Iussu tuo, demens, luit.
Sic corda, quando cæteris
Cædem superbè detonant,
Cæduntur, & casu suo
Dei timorem prædicant.
Patri DEO sit gloria,
Eiusque soli Filio,
Cum Spiritu, qui perpeti
Mundum regit custodia. Amen.

℣. Non est similis tui in dijs Domine,
℟. Et non est secũdũ opera tua.

Ad

Ad Benedictus, Antiphona.

Benedicimus Deum cœli, & coram omnibus viuentibus confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Oratio

DEvs, qui in summis Regni nostri periculis, antiqua brachij tui miracula renouasti: suscipe gratiarum actiones exultantium populorum: & quibus tanti gaudij causam præstitisti, perpetuæ fructum concede lætitiæ. Per Dominum.

Ad Tertiam, Capitulum. 2. Cor. 1.

BEnedictus Devs & Pater Domini nostri Iesv Christi, Pater misericordiarum, & Devs totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

℣. Iusti decantauerunt Domine, nomen sanctum tuum.

℟. Et victricem manum tuam, laudauerunt pariter.

Ad Sextam, Capitulum. Sap. 12.

O Quam bonus, & suauis est, Domine, Spiritus tuus in omnibus: ideoque eos qui exerrant partibus corripis; & de quibus peccant admones, & alloqueris, vt relicta malitia credant in te Domine.

℣. Adorabant sancti, viuentem in sæcula.

℟. Et mittebant coronas suas ante thronum Dei.

Ad Nonam, Capitulum. Sap. 12.

TV autē dominator virtutis, cum tranquillitate judicas, & cum magna reuerētia disponis nos: subest enim tibi, cum volueris posse.

℣. Dignus es Domine Deus noster.

℟. Accipere gloriam, honorem & virtutem.

In ij. Vesperis omnia vt in primis excepta Antiph. ad Magnificat.

Domine Rex omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere volūtati tuæ; si decreueris saluare Israel.

Missa votiua de SS. Trinitate, cum secunda oratione pro gratiarum actione.

Decretum Sacræ Cōgregationis Rituum.

C R A C O V I E N:

Cum die XXj. Ianuarij 1634. fuerit conceßum Officium proprium gratiarum actionis pro victoria obtenta ex Turcis anno 1621. in Regno Poloniæ sub ritu duplici celebrandum die 10. Octobris per Decretum infràscriptum.

P O L O N I Æ.

Eminentissimo Cæsarino referente Officium proprium reuisum & emendatum de mandato hujus Sacræ Congregationis per Eminentissimos

RR. PP.

RR. PP. Mutum, & Cæsarinum recitandum in Regno Poloniæ die X. Octobris singulis annis in memoriam Victoriæ repertatæ à fidelibus contra Turcas Sac. Congregatio confirmauit, die xxj. Ianuarij 1634.

Sacra Congregatio ad supplicationem Abbatis & Monacorum Sanctæ Crucis Montis Calui Cracouien: Diæcesis Ordinis Sancti Benedicti, idem Officium juxta ritum Monasticũ reformatum & à Sac. Congregatione referente Eminentissimo & Reuerendissimo D. Cardinali Franciotto recognitum, & approbatum ijsdem Abbati & Monacis celebrandum concessit. Seruata in reliquis forma supradicti Decreti. Die 24. Aug. 1652.

F. Episcopus Albanen. Card. Cornelius.
B. Roccius Sac. Rit. Congreg. Secretarius.

Imprimatur, Fr. VINCENTIVS FANVS, Socius Reuerendissimi Patris Magistri Sacri Palatij Apostolici.

IMPRIMATVR.

ILlustris & Adm. Rñd. LAVRENTIVS KARYŃSKI, I.V. Doct. Cathedr, & Collegiatæ SS. Omnium Ecclesiarum Crac. Canonicus, Iudex Surrogatus. Visis ac Sectis præsent. easdem iuxta vim formam tenorem, ac continentiam earund. admitt. duxit, prout admisit ac vt ijsdem Conuentus intro Scriptus vtatur concessit. Dat. Crac. die 12. Iulij. A. D. 1653.

IMPRIMATVR.

IVSTVS SŁOWIKOWSKI, Canon. & Archipresbyter Cracouiensis, Illust. Suæ Celsitudinis Causarum Auditor Generalis. De consensu & licentia, Illustrissimi & Reuerendissimi Dñi. Loci ordinarij. Dat. die 4. Augusti. A. D. 1653.

CRACOVIÆ,
Apud LVCAM KVPISZ, *S. R. M. Typographum.*

